

guinis alimentarii spiritusque naturalis officina, gratiosique humoris fons, & uberrima pro toto corpore succi alimentaris scaturigo. Ipsa tamen sanguificatio an fiat in jecoris parenchymate, an in venis, & quomodo? non satis inter autores convenit.

6. Galenus hæmatosin l. 6. de Plat. & Hippoc. decret. expressis in jecore locat: Nam sanguinem è jecore emanare quum dicimus, quid aliud statuimus, quam sanguinis procreatricem facultatem in eo viscere contineri? Si igitur, ut alatur animat, sanguinis generatio est, atque ea in jecore fit; viscus hoc, non cor altricis facultatis principium erit existimandum. Eandem sententiam l. de U. P. c. 12. ut & 6. de loc. aff. c. 1. confirmat. Alibi, ut de U. P. c. 8. secundarium annectit usum, ut ventriculi nimirum coctionem juvet;

7. Philosophorum Coryphaeus, Aristoteles, 3. de part. animal. c. 7. usum hepatis constituit, ut fulciat vasa, & concoquat; viscerum eorum est natura, nempe jecur, & lien venam majorem instar clavi corpori affigunt. Paulo post addit: Cor & jecur omnibus sanguineis sunt necessaria, illud quidem propter caloris originem; hoc verò cibi coquendi gratiâ;

8. Argenterius in comment. in Galeni art. jecur pro primario sanguificationis instrumento venditat, idque ut ob egregium hoc officium in cælum tollat, præ corde primum vivens, maximi que momenti in totius corporis temperaturis mutandis audacter proclamat.

9. Piccolom. Baubinus, Scheckius, Spigelius, Ioubertus, & Plempius parenchyma jecoris solum vasa, ne forsan cohæreant, fulcire, esseque substerniculi ac pulvinaris loco; & sanguificationem tantum in venis fieri decernunt. Mercatus & Laurentius idem tribuunt Vesalio, qui tamen, si rectè legatur, potius contrarium propugnat.

10. Laurentius, Fernelius, Veiga, Capivaccius, Mercatus, Job. Baptista Cartesius miscell. med. dec. 9. epist. 5. & alii in hepate, & venis simul sanguinis officinam locant. Jecori, ait Mercatus, primò & vicinis vasibus concessit natura sanguinem efficere, distantioribus verò  
vasibus